



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tuba Tragica, Seu Historiæ Horroris Plenæ Dominicis Per
Annum Concionatorio ritu aptatæ, Quibus ad oculum
ostenditur, quàm acribus pœnis flagitia proscindat
scelerum Ultor Deus**

Selhamer, Christoph

Norinbergæ, Anno Gratiaë M.DC.XCIX.

Concio IV. Dom. IV. Advent. Execranda Potestas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52721)

CONGIO IV.
DOM. IV. ADVENTUS.

Annò quintò decimò Imperii Tiberii Caesaris, pro-
curante Pontiò Pilatò Judæam &c. Luc. 3.

Execranda Potestas.



Rò! quanta scelerum farrago totum pænè mundum corripuit, cum nova orbi prodigia *vox clamantis in deserto* nunciaret. Rectius de hac ætate dixeris, quod aureò calamò de Noëtica scripsit (1) Avancinus: *omnis caro corruperat viam* (2) *suam super terram*, & inter corruptos mores nullus integritati locus concedebatur. In adolescentibus annis adulta vitia, in senescente vita florens audacia, in omni ætate annosum scelus, in omni sexu indistineta iniquitas, in omni ordine ac conditione inordinati animorum tumultus. Nulla divinarum legum reverentia, nullus ordo juris, nulla sacròrum æstimatio, nullus uspiam justitiæ metus extitit.

A.
Natò Chri-
stò totus
mundus
erat in
maligno
positus.
(1) Avanc.
p. 2.
Orat. 2.
(2) Gen. 6.

Aurò pulsa fides, aurò venalia jura,

Inde nulla æquitas in Curiis, nulla severitas in pœnis, nulla fides in testibus, nulla ratio in judiciis, nulla gravitas in confessibus. Furta & rapinas, odia & cœdes, mutua turbatorum animorum funera, prostitutiones integritatis, pudicitia violationes, thori conjugalis mille probra &c. in totum, quæ patet, orbem acheron invexit.

Quocunque aspiceres, crimen, scelus, & mala mille

Orbis inundabant Oras &c.

Deique summi effrons contemptus oculos pulsabat & aures,

D

ares. Si qua lex fuit, ea non virtuti, sed omnibus vitiis patientem fecit locum. Si quod templum extitit, omnigenæ idololatriæ patuit. Si qua urbs stetit aut respublica, decematis impietatibus ericium in morem scatebat. Omnis æquitas procul à forensibus urnis, omnis veritas procul ab officiis & officinis, omnis scientia procul à scholis publicis, omnis virtus procul ex omnium animis in exilium acta emarcuit, evulit, exspiravit. Est quidem præsens mundus undique in

(3) 1. Jo. 5. *maligno positus* (3) & ut D. Prosper de suo dixit (4) ævo, (4) S. Prosp. *multorum hominum talis est malitia, qualis demonum*, vel ad Ob. Vincent. in 6. *ut de suo palam questus est* (5) Salvianus: *totum hoc seculum ira iniquitatibus plenum est, ut vel mali sint, qui sunt in illo, vel qui boni sunt, multorum persecutione crucientur.*

(5) Salv. de prov.

At si præsens status illi conferatur, quem duxit ætas Christo nato cœva, fatendum est, tunc temporis malitiam summos apices conscendisse, cui jure inscriberes, *ne plus ultra*. Hujus tam miseri status quæ ratio fuit? quæ causa? hanc dum obiter ob oculos locamus, unâ viam sternimus ad tragediam sub finem exhibendam.

B.

Tantæ
pravitatis
quæ causa?

Opt. AA. quod astrum solare terris est, quod cor & caput corpori est humano, quod arduis ædificiis multiplex est columna, id terrarum incolis ritè gubernandis Præsides fuerint & Præfecti. Tollantur ædibus sumptuosæ Columnæ? tota structura in lapidum acervos resolvetur. Capite suo mortale corpus truncetur? totus homo humi fulus jacebit. Lethali plaga pectus hominis configatur? inanime cadaver erit corpus. Sic nempe gentium & populorum acervi suis à vegetis capitibus vegetantur, ex languidis languescunt, ex mortuis emoriuntur, juxta illud (6) Isaïæ, *omne caput languidum, & omne cor morens, à planta pedis usque ad verticem non est sanitas in eo*. Ecclycleptur solare sidus, unde in segetes & in hunc totum spectabilem mundum charites defluunt millenæ? omnes ocus ad diurnas umbras expallescent, de nocte meridiana scribent omnes summi, imi, medioximi, lippi & tonsores; nemo non de patente spectaculo loquetur; sævient unâ pestilentia; mugient tempestates; tremiscet tellus; exclamabunt Areopagitæ: *Vel Deus nature patitur, vel Mundi machina dissolvetur*. Sic sic totus populo-

(6) Isa. 1.

C.
Qualis
Rex, talis
grex.

populorum vigor à luminosis moribus dependet integerrimorum Summatum. Sic totum frigus, quod in subditis lugemus, à Reſtorum caucaseo gelu proficiſcitur. Fac ergò ſoles politicos, quales revera omnes ſunt Superiores, ſuis à paſſionibus excecari, à paluſtribus terræ vaporibus palpabilibus umbris involvi, immanibus flagitiis commaculari? nemo ſanæ mentis amicam lucem à ſubditis exſpectabit; nam & ipſi diem in noctem verterent Majorum exemplò. Rarò ſoli peccant Magnates. Tranſeunt in abſentes, cùm recitari audiunt flagitia, liberè à Majoribus patrata. In membra deſluunt infecti capitis peſtiferi humores. Subditis ſcelus affricatur, quoties per Summates peccatur. Non intelligo hic loci Principes ad Provinciæ clavum ſedentes Monarchas, vel eorum Vicarios Officiales, quos *communes omnium patres*, unde ſubditi pariter patriſſent, Baldus (7) vocat. Suo etiam ſenſu *Principis* nomen, quocunque nomine *Superior* ſortitur. Ita hunc in cenſum trahas Eccleſiaſticos Antifites, *Regale Sacerdotium*, ſacros Animarum Paſtores, cœli Legatos, ac Diſpenſatores myſteriorum Dei. Huc porrò parentes devolvat, ludimagiſtros, patresfamilias, tutores &c. quorum ſingulis ex officio incumbit, lucem cum vita ſuis diſpartiri, & inferiorum ſubſiſtentiam vivis virtutum exemplis fulcire, ne pravo capitis affectu correptus, proximus Ucalegon inardescat, atque idem in ſcelus & iniquitatis voratriam pars vicina trahatur. Geſtias proin, qui talem perſonam in terris ſuſtines, ſubditorum tuorum acta explorare? tua multò antè in te ipſo explora. Tales tuos cogita, qualis tu fueris in teipſo. A tua pietate, religione, juſticia, ſobrietate, & omnigenâ virtute ſalus pendet ſubdita.

(7) Bald.
Conf. 410.
n. 5.

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Patriſſabunt ſubditi tuis ex moribus vel ad cœlos directi, vel ad orcum deducti. Qualis Rex, talis grex; quod ſanè uſu perpetuo compertiffimum habemus, bonum eſſe in Republica gregem, ſi quem Ducem Reſtorem naſtus eſt, bonus ſit; malum ex adverſo, idem ſi malus exiſtat. Oraculum Numinis (8) eſt, *ſecundum Judicem populi, ſic & miniſtri ejus, & qualis Reſtor eſt civitatis* (adde, qualis Reſtor eſt Cœnobii, Parochiæ, familia,

(8) Eccl.

D 2

familia,

familia, domus, schola &c.) sales & inhabitantes in ea. Trahunt illi exemplo suo, & à suis fieri imperant, quæ ipsi pessimis moribus depravant; nam sicut in corporibus, ita in imperio (seu sacro seu profano) morbus ille omnium gravissimus esse (9) Plin. l. 2. ep. 62. creditur, teste (9) Plinio, qui à Capite descendit. Cur? quia plerumque totam membrorum omnium compagem irruit, & acerrimè singulos artus depopulatur, ut videre est in apoplecticis.

Hæc si vera sunt AA. uti planè verissima esse, quotidiana experientia confirmat, nemo ultra quærat sollicitus, unde tanta malicia, pænè omnium maxima totum terrarum orbem corripuerit, cum in deserto verbò & exemplo pœnitentiam intonaret Joannes. Legatur præsens Evangelion, & mox patebit, per quos tunc temporis Roma & Judæa, nec non aliæ per orbem provinciæ sint destructæ.

Deum immortalem! quæ monstra video? quæ hominum, imò belluarum portenta exhibet Scriptura? non est totius anni decursu Evangelium tot bestialibus scelerum monstris oppletum, quàm hodiernum. Prostant hodie Tiberii Cæsares, Pilati Procuratores, Herodes, Philippi & Lyfanizæ Tetrarchæ. Hi politicum corpus regebant; hi populis ac gentibus hebræis imperabant, in omne scelus projecti Magnates, in omnem proterviam effusi Proceres, in omnem luxum & luxuriam provincie Officiales. Secularibus hisce principibus & dynastis nec hilò meliores erant Pontifices; horum primipili erant Annas & Caiphas, quorum uterque Christum Deum ac Dominum nostrum, ad lethiferam Crucem promovit, sanctæ Veritatis stygii latrones & vespillones. Hinc illæ lacrimæ. Hinc tota malorum ilias. His hominum monstris ad clavum sedentibus factum est, ut totus terrarum orbis velut eminus pestifera lue afflatus, ad summum pravitatis & malitiæ gradum eluctaretur, cui, ut memini, jure suo tritum illud appingeres, *ne plus ultra!* Hic humanæ pravitatis terminus esto, quem nemo hæctenus attigit, nisi cum à scelestissimis hisce capitibus Romanus Orbis regeretur. At placeat nonnihil fixius hæc monstra, hæc vitiorum ostenta intueri.

D.
Infamis
vita
Tiberii.

Quis ergò fuit Tiberius? si veneris mancipium, si avaritiæ ac per-

ac perfidiae monstrum, si gulæ ac crudelitatis dixero portentum, nimis parùm dicar historiographis dixisse. Nullus calamus scelerum iliadem describat, quibus se totum subditis execrabilem reddidit Imperator. Vix solum conscendit, omnes doctos in exilium egit, sumptis invicem rudibus asinis, qui toti à Tiberio penderent & assentatorio ruditu consilia probarent plumbea, ficulnea, impia, truculenta. His stipitibus, his præustis sudibus innixus Cæsar, ad omnem vitæ licentiam mollem sibi viam composuit, in omnem audaciam effusus. Ait (10) Sueton. (10) eum dies cum noctibus bibendo continuasse, ac strenuis bibonibus adipales præfecturas impertiisse; quò lucrò ad subditos translato, hinc etiam Amusi colligent. Ei nullus fidem probavit, nisi grandibus poculis plures alios deposuisset. Accidit inde, ut à continua bibacitate non *Claudius Tiberius Nero, sed Caldius Biberius Merodiceretur*. Pompejus Magnus Baccho simul ac Veneri Romæ fanum erexit. Cur non utrique proprium condidit? Audi Tertul. (11) *ubi ebrietas, ibi libido. Theatrum ventris etiam Liberi domus est; semper enim simul incedunt, & sub eodem recto commorantur gula & luxuria.* Unde temerarium iudicium non est, si de homine guloso & biboso minùs etiam pudica præsumas. *A gula in lasciviam transitur*, inquit (12) Alcuinus. Sicut ergò gulam fovit Tiberius, sic pariter gulæ sociam venerem impensè coluit Tiberius; hunc in finem totam aulam luxuriosissimis instruxit, quibus omnium oculi ad omnis generis libidines accenderentur. Nemo dicat, castitatem coli, ubi tam propudiosa imagines prostant. Orco victimæ litantur innumerae harum ope ac subsidio, qua ex causa nullibi locorum bona cum conscientia tolerari possunt. *Disicitur adulterium, cum spectatur adulterium* Gregorio (13) teste. Tiberium *omnium voluptatum magistrum* vocat (14) Plutarchus. *Impurissimum lenonem & monstruosum pæderasten* (15) Cæl. Rhodig. Fuit, qui novum libidinis genus Tiberio aperiret? artis stygiæ grande præmium & plausibile officium recepit. Fuit, qui vel suæ, vel alterius pudicitia fugâ consuleret? morte peracerba luit fugam. Quid multis? eò ventum est grassante Tiberio, ut etiam publicum officium erigeret optime dotatum, eique Priscum præficeret, cujus una esset

D 3

cura,

(10) Sueton.
in Vit.(11) Tertul.
L. cont.
Psichic.(12) Alcuin
in Gen.
quæst. 138.(13) Greg.
L. 9. ad
Siren.
Episc.
[14] Plut.
in Tib.
[15] Rhodig.
dig. l. 20.
c. 30.

cura, lascivis voluptatibus præsidere, ut nil unquam vel procis deficeret, vel forensibus lupis. Unde verò in hoc duplex scelus corruit Tiberius? fuxit utrumque flagitium cum lacte puellus; Livia Mater ejus formæ gratiâ propriam sobolem lactare renuit, eam ergò more passim recepto lamia obtulit lactandam, quæ cum bibula esset & luxuriosa, mores prostibuli hujus cum adulterino lacte in se transtulit. Avaritia ejus nullò poterat fisco, nullis multis & exactioibus se passa est faturari. Exhaustit suos ad imos usque pedes; cum enim tot pensionibus non essent, sandalia passim ex informi trunco fabricârunt, ritu hodie Franciscanis Patribus per Boicam reformatis usitato; memorat Sabel. (16) eum unis tantum vicibus ultra 67. milliones coronatorum in parata pecunia corrasisse. Suet. teste l.c. animò etiam ad rapinas conversò, quæritis undique calumniis, opibus suis & fortunis, imò etiam vitâ suâ per summum nefas opulentos ejecit, & sibi omnes fortunæ vendicavit. Fuit, qui minimam dicacitatem in Cæsarem expromeret, capite stetit & fortunis dicacitas, ita quidem, ut etiam capitale esset, circa Tiberii simulacrum alium palam cecidisse, fibulam constrinxisse, lotium posuisse, nomen aut effigiem Cæsaris annulo inserta in lupanar, vel in lacrinam detulisse. His ex capitibus multos capite damnavit, aut feris objecit, unâ sub capitis demetendi periculo palam prohibuit, ne suos truci fatò sublato, propinqui lugerent. Talis erat Tiberius orbis caput, ut vix deterior fingi posset tyrannus; utut verò enormibus vitiis hirtesceret, suum tamen infame nomen adhuc coli voluit & honorari. Sed Officiales Tiberii lustremus.

E.
Pilati clo-
gia.

Pilatus Præses erat judææ; at quis erat Pilatus? stygius procurator, avernalis judex, sacrilegus impostor, Barrabæ latronis patronus, seditionum fautor, justitiæ oppressor, Innocentiæ traditor, homo turbulentus, homo sanguinolentus, lanio virtutis, turpis pseudopoliticus, latro veritatis, Dei Hominis ac sui tandem ipsius carnifex truculentus. Ut prima sodis hujus cunabula investigates, Galliam ad Pontiorum feracissimam tellurem. Fuit spurium veneris germen Pilatus, ex lupa molitoris filia per Tirum Baronem Gallum imprægnata, Lugduni Galliæ prognatum. Dicitur primis annis ex odio ac
impe-

impetuoso furore proprium fratrem ferro necasse; adultiore etiam Legati Romani filium interemit; unde in Helvetiam ajunt exulem transfugisse. Extat hodie Lucernæ mons grandis & propè inaccessus, à nonnullis *pilateus*, ab aliis tritè hodie linguà *Pilatus* passim nuncupatus; fortè hac in vicinia pedem fixit Pontius, donec patratum scelus evanesceret. Si jam tunc temporis jejuni Helveti annuæ pensuiculæ gratia fortius Galli quàm Cæsaris jura propugnârunt, mirum videri non debet, in Eigental Lucernensis Cantonis, ad montis Pilati Pedem sedem fixisse Pilatum. Vidi locum, sed alia nulla quàm antiquæ traditionis vestigia reperi. Quærat hic nonnemo, quibus modis Judææ præturam nactus sit Pilatus, duplici ex capite infamis? Respondebit Poëta.

Auri sacra fames quid non mortalia cogis pectora?

Bursa aurò turgida hæc emit tribunalia. Cæsaris aula tunc temporis fronti suæ inustam tulit epigraphen, quam necdum expunxit.

Currere Casaream si cupis, unge rotam.

Sic fasces obtinuit Pilatus, quibus tamen enormiter abusus, exauctorari meruit, & alteris vicibus in exilium relegari Galliæ Viennam, ubi suimetipsum & licetor fuit & carnifex. Philo Judæus (17) eum his titulis condécorat: *Pilatus duri fuit & (17) Philo. pervicacis ingenii homo pessimus, rapinis, injuriis, cladibus, L. de Legat. tormentis, crebris cadibus indemnatorum, sevissima crudelitate infamis judex corruptissimus, & omnibus flagitiis cooperatus.* Hucusquæ Philo. Sed linquimus Pilatum, & reliquorum virtutes obiter exploremus.

Herodes Antipas filius erat infanticidæ Herodis, mali corvi ovum pessimum. Arcto carcere Christi Prodromum Joannem conclusit, eumque in gratiam Herodiadis suæ decollavit; alba etiam veste Christum tanquam fatuum elusit, totus atheus, adulter, sacrilegus, incestuosus, à Cajo Caligula, qui Tiberio successit, bonis ac fortunis suis exutus, Lugdunum Galliæ tanquam exul relegatus, prout Salmeron (18) testatur. Philippus frater ejus (19) fungus erat Josepho, & simplicianus adiota.

F.
Herodis &
Philippi
fratrum
germana
Virtus.
(18) Salm.
t. de Pass.
(19) Joseph
l. 18. c. 6.

idiota, fautor scelerum, palmarium flagitiorum dissimulator, idè uxore illius facilè potuit vaferrimus Antipas abuti. Sed cur ita stolidus caudex in Ituræa Tetrarcham electus est? hæccine parens ejus meruit, à pediculis corrosus infanticida? quid, quæso, prima hujus promotionis principia rimamur? fac nummorum peroret pluralitas, & vel hodie ad prima usque subellia sacra & profana grassari videas pépones & cucurbitas, hebetes fungos, & rurali vacuò tumentes bullas, duro de robore natos idiotas, abecedarios Corydones &c.

G.
Lysanias
dècora.

Lysanias Abilinæ præfectus homo erat insigniter barbarus, atrociter sævus, graviter sceleratus, ferociter perniciosus, omnium facilè, quos Abila tenuit, teterrimus, cujus vel nudum nomen omnibus esset subditis execrandum.

H.
Annæ &
Caiphæ
præconia.

Annas & Caiphæ Summi licet Sacerdotes audirent, Christum tamen usque ad funestam eamque probrosissimam Crucem persecuti sunt, & post Christi mortem Discipulos ejus. Quibus technis gazophylacium expilaverint, memorant Evangelistæ. O bellos custodes ovium, ut ajunt, lupos!

Hem perditus Statûs, quem tunc passa est mortalitas, miseriam rationem ac formam, per miserimos Superiores tunc ad urnam sedentes, à Spiritu S. descriptam, ut ob oculos poneret universariam orbis pravitatem Evangelista, Præfides tantum & Præfectos exhibuit omni flagitiorum genere cooperatos, ut Philo meminit l. c. & Joseph.

I.
Væ pravis
Superiori-
bus! væ
iniquis
Officiali-
bus!
(20) Sap. 6.

Væ Reipublicæ! væ Curiæ! væ Civitati ac Provinciæ, quam Tiberii regunt aut Herodiani Tetrarchæ! væ familiæ, quam Caiphæ administrant! ruent in abyssum cum Reëtoribus subditi, cum Majoribus tantæ Potestati seu sacre seu profanæ subditi. Omnibus Superioribus vel hoc uno ex capite magna benè vivendi necessitas est injecta, quia ex illorum manibus requiritur, quidquid in subditis vel destruitur, vel negligitur. Non sine causa Sapiens (20) intonat: *judicium durissimum his, qui præstant; præfidis tamen & prætoris partes explent luridè; & quid inde sequitur? audi porro Scripturam: potentes potenter tormenta patientur.* Quid hoc? ergò salus propria à salute pendeat aliena? rem acu tetigisti. Impiè, perfidè, nequiter, pscitanter munus obeant Superiores? certa sunt tormenta nullò


ævo terminanda. Ob signo præfens assertum tristi tragœdia,
 quam Kibler (21) exhibet. Obiit nuper in loco Catholico (21) Kibl.
 (sic generalibus in terminis loquendum, ut familia parcatur) p. 2. Spec.
 magni nominis Officialis Urnarius. At quomodo coram judicio
 stetit supremo, ubi maxima de minimis omniscio Deo danda
 ratio? hic rhodus, hic saltus, hic tota lex pendet & Prophetæ.
 Cæcos homines facili opera supplantamus; at quis Deum impla-
 net? fœtuit enormiter defuncti hujus exanime corpus, sua licet
 sandapilâ conclusum. Actum proin, ut in oppositæ plateæ
 vicino Sacello deponeretur, donec inde sublatum solenni pompa
 suum ad tumulum Summo in Templo paratum asportaretur.
 Illuxit tandem dies, quâ iusta extincto persolverent, toto
 agmine jam in procinctu stante, ut feretro impositum funus
 tolleretur; hem subito movetur tumba & referatur, surgit
 compositum funus, prodit spectante populo è sacello, transit
 plateam, ædes suas subintrat, ascendit scalas, & restâ petit
 hypocaukum, ubi tota stabat familia, funeri deducendo accin-
 cta. Stant in altum arrectæ omnium comæ, frigidus horror
 membra concutit, aliquos etiam humi fundit tremendi hospitis
 exitialis aspectus. Medium hypocaukti spiritus tenuit singulos
 utrinque flagrantibus oculis quaquaversum projectis exanimans.
 Nemo fuit, qui præsentem spiritum alloqueretur. Utaus tan-
 dem resumpto animo & elicita vivaci contritione omnium
 egit causâ, trita Ecclesiæ formulâ palam enuntiata, quâ umbrarû
 apparentiû status exploratur: *omnis bonus Spiritus laudat Dominum*
Deum! necdum ultimam syllabam protulit, jam umbra infremit;
 at non ego, non ego. Rogatur ultra, cur debitas laudes Deo
 negaret? an umbra esset stygia, damnata? ita, ita, reponit umbra,
 damnatus sum! ratio est, quia vivus subditos meos tam enormi-
 ter exluxi, eos ita durè, ita hispide moderatus, ut aliqui ultrò
 sibi manus inferrent violentas, quorum sanguis jam à me per
 supremum Judicem requiritur; ratio meæ damnationis est,
 quia per fas & nefas iniquitatis mammonam adauxi, nullâ nec
 animo tenus præsumpta restitutione, multis grandibus modicam
 in subditis exerrationem plectendo, cujus vel totam, vel æquè
 majorem substantiam mihi uni per summam iniquitatem ad-
 scripsi, librorum rationibus impiè detortis, ac meum in lucrum

K.
 Judicium
 durissi-
 mum his,
 qui male
 præsumt.
 Probatur
 factis
 tragicò.
 Hist.

E

mutila.

mutilatis &c. His dictis horrifonus turbo hypocaustum irruit, & in ictu oculi per patentem fenestram funus abripuit, atque iterum in medio atrii sub dio deposuit; hic spectante tota hominum catervâ stetit umbra, & capite in altum levato ultimum vale lucido soli, totique cœlo transmisit, altum ejulans: jam ultimum te intueor lux publica mundi Sol, te porrò nunquam ultra spectaturus in æternum in æternum in æternum! *Felix quem reddunt aliena piacula cautum!* felix; qui munus suum ipsi à Deo commissum, ita piè, ita candidè in vivis exequitur, ut spe ac solamine plenus, post fata piè in terris obita, cœli ac Dei sui gaudiofissimo aspectu frui valeat æternùm. Amen.



CONCIO V.

DOMINICA PRIMA POST
EPIPHANIAM.

Dolentes querebamus te. Luc. 2.

Prava educatio prolis.

A.
Perditæ:
prolis
culpa
pessimè
imputatæ:
Deiparæ:
(1) S. Aug.
l. de nat. &
grati. c. 36.
(2) S. Ambr.
ep. ad
Theoph.



Emo culpam conjiciat perditæ prolis hodie vell in Deiparam, vel in Josephum AA. Hic loci ex parte pientissimorum Parentum nihil fuit neglectum. Hoc in negotio bini Patres Sancto Spiritu cœlitus afflati audiuntur. *Cum de peccatis agitur, maxima est* (1) S. P. Augustini, *de Sanctissima Virgine Maria propter honorem Domini, nullam pro se haberi volo questionem.* Idem sentit, idem loquitur Mediolanensis (2) Antistes: *Claudat ora sua perfidia, & erubescat, ne Matrem Domini aliquando audeat convitio temerare.* Discant potiùs omnes ac singuli parentes, quâ curâ, quâ industriâ suam in prolem ferri debeant parentes. Virgo Mater Divo Conjuge suo
eomi-